

iustitia Christi, quam fide accipiunt. Inchoatione vero, quia inchoatur in eis per Spiritum sanctum nouitas spiritualis, quae consummata erit in altera vita.

Quid significat vox catholica?

Καθολικὸν idem est quod „vniuersale“. Ideo autem ecclesia sic vocatur, quia non est alligata ad personas, loca et ordinariam successionem episcoporum, 5 sed est vbicunque sonat uox euangelij, deinde, quia omnibus aetatibus mundi colligitur ex genere humano, postremo, quia amplectitur totum corpus doctrinae propheticae et apostolicae.

Quid significant haec verba: „Credo sanctorum communionem“?

10

[81:] Haec verba sunt expositio seu interpretatio prioris articuli. Sunt enim velut descriptio per appositionem, vt vocant grammatici, addita, qua declaratur, quid sit ecclesia, nempe ἁγίων κοινωνία, id est coetus talis, in quo sancti, hoc est abluti sanguine Filij Dei (Ephes. 5)¹⁵⁷ et sanctificati per Spiritum sanctum, quocunque loco et tempore vixerunt, societatem seu communionem inter se habent non modo eiusdem doctrinae, sed etiam omnium beneficiorum spiritualium, cum sint membra vnius corporis et vnum caput habeant Christum, qui per Spiritum suum in eis est efficax. Ita Iohannes inquit: „Quod vidimus et audiuius, annunciamus vobis, vt et vos societatem habeatis nobiscum et societas vestra sit cum Pater et Filio eius Iesu Christo.“¹⁵⁸ Et Paulus Ephes. 4: „Vnum corpus, vnus Spiritus sicut et vocati estis in vna spe.“¹⁵⁹ Apud Cyprianum et Augustinum hic 20 articulus non habetur neque ab eis exponitur.

¹⁵⁷ Vgl. Eph 5,26.

¹⁵⁸ I Joh 1,3.

¹⁵⁹ Eph 4,4.